



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**HORATII TVRSELLINI || ROMANI || E SOCIETATE IESV ||
LAVRETANAE HISTORIAE || LIBRI QVINQVE. ||**

Torsellini, Orazio

Romae, 1597

Cap. 21. Aucto Iesuitarum Collegio, Lauretana celebritas adaugetur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64112)

sum. Quippe illum præclara sua de Lauretana Aede consilia mandare litteris, quam factis exsequi maluit. Ut Marcellus Romam attigit, facile quidem euenit, quod Deo cordi erat, ut fieret Pontifex: & extitit B. Virginis fides; Pontificis tamen exstare non potuit. Is namque intra XXII. diem, vix dum inito Pontificatu excessit è vita. Pontifex egregijs consilijs magis, quam operibus memorandus. Salubria quippe eius consilia plures deinde Pontificum secuti, multis ac magnis simul Ecclesiam, simul Lauretanam Aedem præfidijs, ac muneribus adornarunt.

*Aucto Iesuitarum Collegio à Paulo Quarto, Lauretana
celebritas, & opulentiã adaugetur.*

Cap. XVI.

QVorum ex numero Paulus Quartus fuit, qui Marcello subrogatus, eiusque salubribus vsus consilijs non modo lapsam Ecclesiae disciplinam, moresque restituere coepit; sed Lauretanæ Domus etiam cultum amplificare institit. Pontificatus initio vetera aliorum Pontificum beneficia nouo sanxit diplomate: ædificationem sedulo iuuuit: auxit numerum Ministrorum: nihil denique prætermisit, quod ad amplificandam loci Religionem pertinere existimaret. Cæterum illud præcipuum eius munus ex Marcelli utriusque consilijs ortum, quod Societatis Iesu Collegium auctius reddidit. Nam etiam si Patres illi, qui tum erant, maiorem quam pro numero peregrinis nauarent operam; tamen sacerdotum paucitas crescenti in dies aduenarum multitudini satisfacere haud quaquã poterat: præsertim cum ex remotissimis quoque regionibus peregrini homines sermone dissoni quotidie plures confluerent, quorum plerique confessione expiari nequibant linguæ commercii expertes. Hos irritos spei, votique
domos

domos redire, haud ægrius ipsimet, quam Patres patiebantur. Igitur ea res Cardinalem Carpensẽm perpulit, vt de adaugendo Patrum numero cogitaret. Is quippe admodum lætus Collegium ab se in solo Lauretano satum, quãuis adhuc tenue ac tenerum, satis vberes pietatis, qua ferre, qua ostentare fructus, de eo impense amplificando cū Pontifice agitauit, ratus fore; id quod euenit, vt vberri-
mã frugem, auctis maturisque iam fructibus ferret. Itaq. anno huius sæculi LIII. approbante Pontifice perfecit, vt sociis duo de triginta superiori numero adiectis, XL. e Societate Laureti alerentur. Nec Cardinalis, aut Pontificis spes Societas est frustrata. Auctum per eam occasionem sacerdotibus exterarum linguarum peritis Collegium, magno & religioni peregrinorum incremento, & Lauretanae Domui emolumento fuit. Ex eo tempore omnium ferme nationum peregrini suę quisque gentis sacerdotes nacti, quibus cum libere agerent sine interprete, eorum opera Christianis etiam institutis, præceptisque imbuti, non tantum peccatis expiati domos repetebant. Lauretanae porro Aedis religio, ac res tantis subinde auctibus creuit; vt satis constet, vel aduenarum frequentiam, vel donorũ copiam solito longe fuisse maiorem. Nimirum aduenarum multitudo infinite crescebat in dies, ac multis passim agminibus per omnes vias, semitasque Lauretum vndique concurrebant. Sæpe dena nonnunquam vicena, interdum etiam tricena, eoque plura peregrinorum millia versabantur ad Lauretum, circiter natalẽ Virginis diem. Plerique autem templo, oppidoque exclusi circumiectos agros syluasque complebant.

